

habeo simplicem apprehensionem. Affirmo *corpora existere, duo ac tria esse quinque*: actum elicio iudicii. Demum, si post cognitam existentiam mundi, colligo exinde supremi Conditoris existentiam; posui actum ratiocinii (1).

«*Harum autem operationum prima ordinatur ad secundam, quia non potest esse compositio et divisio (iudicium) nisi simplicium apprehensorum. Secunda vero ordinatur ad tertiam; quia videlicet oportet, quoad ex aliquo vero cognitio, cui intellectus assentiat, procedat ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis*» (2).

Ordo tractationis.

Quamobrem hæc nobis totius hujus tractationis, non minus simplex quam rei conveniens divisio, ac rerum ordo tenendus est, ut primum de iis, *quæ ad simplicem apprehensionem*, tum de iis, quæ ad *iudicium*, ac tandem de iis, quæ ad *discursum ac ratiocinium* spectant, disputemus (3).

Sunt alii tamen, qui divisionem Dialecticæ ex fine ipsius ducendam esse existimarunt. Itaque tot ei partes assignant,

(1) Passim audies nomina *attentionis, reflexionis, abstractionis, synthesis, comparisonis* etc. Hi tamen actus facile revocantur ad aliquem ex tribus prædictis, aut eorumdem sunt quedam affectiones.

Attentio enim est ea operatio, qua mens ex pluribus rationibus aut objectis, quæ simul occurrunt, unum præ alio considerat, in illud dumtaxat obtutum defigendo. Reflexio est conversio mentis in proprios actus contemplandos. Abstractio est attentio quedam, qua ex pluribus natura conjunctis unum sine altero apprehenditur, ut si animæ spiritualitate cogites, non cogitata ejusdem immortalitate. Synthesis est conjunctio plurium idearum in unum, ut si chartam albam intelligas, vel si iudices ignem comburere. Tandem comparatio est actus, quo mens plures ideas inter se conferens, modo hanc, modo illam contuetur, ut mutuas earundem relationes investiget.

Atque idem die de *suspensione* et *admiratione* quæ prima fronte possent incipientibus videri diversæ a tribus operationibus mentis supra recensitis. Suspensio enim est simplex quedam apprehensio in iudicium inclinans: admiratio vero est affectio animi resultans ex contemplatione alicujus effectus, cujus causa ignoratur.

(2) S. Thom. *Periherm.* lib. 1 lect. 1.

(3) Eandem partitionem amplectitur S. Thomas et plurimi alii veteres Doctores. Vid. S. Th. *Periherm.* lib. 1; lect. 1; *Posterior Analyticor.* l. 1, lect. 1; *Summ. totius Logicæ Aristot.* in *Proem.*: aliosque passim veteres scriptores, et nominatim Card. Tolet. in *Univers. Arist. Logicam, Proem.* quaest. 6. Cfr. ib. *De Prædicationis, initio.*

quot sunt modi disserendi ac sciendi, eo enim tandem Logica tendit, ut quomodo sciendum disserendumque sit, doceat. Cum ergo modi sciendi tres numerentur, *Definitio, Divisio, Argumentatio*, in eas dividunt Dialecticam. Hæc est Bœtiii sententia (1), Petri Fonseca (2) Conimbricensium (3) aliorumque, et fundari forte potest in S. Augustino (4). Nobis planior videtur ea, quam cum Angelico Doctore amplexi sumus, divisio. Cæterum, utramlibet quis sequi volet, de iisdem rebus haud dispari accurate diligentiaque agat, oportet, pro gravissimo tractationis hujus momento.

DISPUTATIO PRIMA

DE IIS QUÆ PERTINENT AD PRIMAM MENTIS
OPERATIONEM.

Tum simplex mentis apprehensio, tum ejus externa, sive per voces sive per scripta, manifestatio, generali vocabulo *terminus* a Logicis nuncupatur, de quo plura nobis investiganda sunt. Sed cum terminus omnis, quin et actus mentis cognoscitivus ejusque externa expressio, id sibi proprium vindicet, ut aliquid *significet*, rationem *signi* ante omnia exponendam esse arbitramur.

(1) Comment. in *Topic.* Ciceron. par. 2.

(2) *Institut. Dialect.* lib. 1, cap. 4.

(3) Op. cit. *Appendix ad quaestiones proem.*

(4) *De doctrina christiana*, lib. 2. cap. 37.

CAPUT I.
DE SIGNO

ARTICULUS I.
Quid sit signum.

Definitio signi
prima

7. Signum definitur a S. Augustino: *Res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire* (1): vel *quod et seipsum sensui, et præter se aliquid animo ostendit* (2).

Hæc tamen signi acceptio, quamvis maxime propria est, si nominis originem ac primævam institutionem respiciamus, nihilominus nimis restrictos continet limites. *Maxime* inquam, *propria* est, quia cum cognitiones nostræ initium a sensibus ducant, ea primum objecta videntur homines primò ac principalis signorum nomine distinxisse, quæ cum in sensus incurrunt, et per sensus in intellectum, præter sui notitiam, alterius quoque rei excitant cognitionem (3). Est tamen nimis pressa hæc signi notio, utpote quæ signa tantummodo sensibilia comprehendit; cum tamen ex communi philosophorum sententia dentur etiam signa insensibilia, quæ nimirum solo intellectu capi possunt (4).

Quare S. Augustinus dicendus est non tam signum in universali sua acceptione, quam illud quod tale est primo et principaliter, ac prout nobis inservit, quibus nihil insensibilem mediate ac per se officium signi exhibere potest, definire voluisse (5).

(1) S. Aug. *De Doctr. christ.* lib. 2. c. 1.

(2) S. Aug. vel quisquis fuerit auctor opusculi *De principiis Dialecticæ*, cap. 5. Cfr. S. Th. in 4.^o Dist. 4. quæst. 1. a. 1.

(3) Vid. S. Thom. 4.^o Dist. 1. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. in solutione; 3 p. q. g. 60. art. 4 ad 1.^{am}; Conimbricenses, Op. cit. *De interpret.*, quæst. 1 art. 1.

(4) Vide S. Th. 4.^o dist. 1 et 3 p. q. 60, a. 4 nuper cit.: item quæst. 9 de *Verit.* art. 4 ad. 4.^{am}

(5) Vel dic cum Scoto S. Doctorem loqui voluisse «*non solum de signo sensibili, accipiendo sensum stricte pro sensu corporali... sed de sensu incorporali, accipiendo sensum generaliter pro potentia cognoscitiva.*» (Scot in 4.^o Dist. 6, quæst. 10, D. n. 3.)

Secundum alios signum dicitur quidquid potentia cognoscitivæ, præter sui cognitionem, alterius quoque rei cognitionem ingerit. Quæ definitio colligi videtur ex illis Aquinatis verbis: *Signum importat aliquid manifestum quoad nos, quo conducimur in alterius cognitionem* (1).

Verum hæc etiam definitio, placere multis nequaquam potest. Quod ut plane videas, nosse debes ex communissima sententia, conceptus mentis vera esse rerum, quas cognoscimus, signa. Porro docent plurimi non ita conceptus esse rerum signa, ut prius in se ipsi percipiantur, iisque mediis deinde in rerum progrediamur notitiam (2). Atqui cum his stare nequit allata definitio, quæ ad rationem signi postulat, ut sit aliquid prius in se ipso notum, ex cuius deinceps cognitione deveniamus in alterius cognitionem.

Itaque ut definitionem afferamus adæquatam, quæque respici a nemine rationabiliter possit, dico signum esse, *quidquid potentia cognoscitivæ aliquid a se diversum repræsentat* (3). Sic fumus ignem, sceptrum regiam dignitatem, internam lætitiæ significat risus. Repræsentare idem sonat ac ment præsens sistere objective atque intentionaliter, nimirum notitiam alicujus rei ingerendo. Porro signum dicitur aliquid a se diversum repræsentare; nihil enim proprie seipsum significat, sed aliud, sive re sive saltem ratione distinctum. Quare non videtur idem esse omnino significare ac repræsentare aut etiam manifestare. Nihil enim vetat, quominus aliquid possit etiam seipsum repræsentare ac manifestare, non vero signifi-

Alia definitio
controversia
obnoxia.

Vera definitio.

(1) 4.^o Dist. 1. q. 1 a. 1. quæstiunc. 1 ad 5; quæstiunc. 2 in solutione. Similia habet S. Doctor, quæst. 9 de *Verit.* a. 4. ad. 4.^a «*Communiter possumus signum dicere quodcumque notum, in quo aliquid cognoscatur.*» Et ibidem ad 5.^{am} *De ratione signi proprie accepta non est, quod sit vel prius vel posterius in natura, sed solummodo quod sit nobis præcognitum.*»

(2) Non est hujus loci, ut quidquam de hac opinione aut de ejus opposita decernatur. Mihi nunc sufficiat notasse allatam definitionem controversiis opinionumque varietate carere non posse.

(3) Cfr. Fonseca et Conimbricenses loc. cit.; Lossada *Instit. Dialecticæ*, disp. 1 cap. 1, n. 1, et cap. 2, n. 17; Joann. a S. Th. *Cursus philosophicæ Logicæ*, part. 1 et part. 2. quæst. 21.; Thom. Compton, *Philos. Universæ*, *Logic.* disp. 42, sect. 1.; Georgius Rhodes, *Cursus Philosophicæ*, lib. 1, disp. 3, quæst. 1.

care. Sic sol lucet quidem, et se manifestat, verum non se illuminat, sed alia a se. Quamquam fateor in his misceri posse questiones inutiles de voce (1).

Duplex
habitus signi

Rectissime proin docet S. Bonaventura (2) duplicem in quovis signo esse habitudinem seu comparisonem, alteram ad potentiam cognoscitivam, cui objectum aliquid manifestat, alteram ad objectum ipsum quod significat: quare signum est medium quoddam potentiam inter et objectum.

Per respectum
ad quam poten-
tiam cognosci-
tivam dicitur
signum.

Et potentie quidem cognoscitivæ nomine intelligimus non modo intellectum, sed imaginationem quoque et ipsos sensus externos. Hinc bruta, licet non discurrant, nec ipsam signi naturam percipiant, signis tamen utuntur. Nam non modo exprimunt suos conceptus signis naturalibus, quemadmodum docet Angelicus (3) sed etiam *contigit... ex memoria præteritorum beneficiorum vel flagellorum, ut bruta aliquid apprehendant quasi amicam et prosequendum vel sperandum, et aliquid quasi inimicum et fugiendum vel timendum* (4).

Plerumque
effectus sunt
causarum signa

Quod vero ad objectum ipsum significatum attinet, illud est plerumque causa; ex effectibus enim causas, et ex proprietatibus naturas rerum fere in hac vita indagamus. Unde etiam argumentatio ex effectibus derivata nomen argumentationis a signo per antonomasiam accepit. Sed negari non debet, posse etiam effectus a causa significari. Quæ doctrina est S. Thomæ, sic scribentis: *Signum, quantum est in se, importat aliquid manifestum quoad nos, quo manuducimur in cognitionem alicujus occulti. Et quia, ut frequentius, effectus sunt nobis manifestiores causis; ideo signum quandoque contra causam dividitur, sicut demonstratio quia est quæ dicitur esse per signum a communi, ut in 1.^o Physic. (textu 4.^o) dicitur; demonstratio autem propter quid est per causam. Quandoque autem causa est manifesta quoad nos, ut pole cadens sub sensu; effectus autem*

Sed possunt
quoque causas
significare
effectus.

(1) Vide Arriaga *Cursus philosoph.*, Logica disp. 13 sect. 1 n. 4, 5; Lossada, loc. cit. n. 3.

(2) S. Bonaventura in 4.^a Dist. 1. q. 2, Cfr. Lossada loc. cit. n. 2, et alii aa. passim.

(3) *De Veritate* quest. 9, art. 4. ad 10.^{um}

(4) *De Veritate* Quest. 24 art. 2 ad 7. Fusc de hoc P. Joannes a S. Thom. Op. cit. *Logic.* quest. 21, art. 6.

occultus, ut si expectatur in futurum: et tunc nihil prohibet causam signum sui effectus dici (1).

Sæpe etiam aliquid est signum alterius, cujus nec effectus nec causa est: id quod locum obtinet in signis arbitrariis, de quibus mox. Ita sceptrum significat regiam auctoritatem, ramus tabernam vinariam.

Et potest etiam
significare res
aliquid, quod
nec causa sit nec
effectus ipsius.

Atque hæc nobis circa signi naturam sufficere videntur (2). Si vero scire cupis quid signum ab imagine differat, breviter respondebo, duplex esse discrimen. Imago enim ex doctrina S. Thomæ (3), importat similitudinem cum re, cujus est imago, sive secundum naturam, sive saltem secundum figuram; deinde imago originem importat seu processum ab illa re, cujus est imago. Harum vero neutra conditio necessario requiritur ad rationem signi, quemadmodum patet, v. g. in ramo significante tabernam vinariam. Quare licet omnis imago sit signum, non tamen omne signum est imago.

Quid differat
signum
ab imagine.

(1) S. Th. in 4.^a dist. 1 quest. 1, art. 1, quaestione. 1, ad 5.^{am} Cfr. *De Veritate* quest. 9, art. ad 5; 1 p. q. 70 a. 2.

(2) Sunt, qui certas quasdam condiciones præterea requirant ad rationem signi. Et primo quidem volunt proprium signum postulare ut, sive ex nature ipsius ordine sive ex hominum placito, sit ad hoc institutum, ut specialiter ducat potentiam cognoscitivam in cognitionem alterius. Ita inter alios Cardin. Francisc. Toletus (in lib. 1 Aristot. *de Interpret.* c. 1, quest. 1); P. Sylvester Maurus (*Quest. philos.* tom. 1 quest. 55); P. Petrus Hurt. (*Summul.* disp. 1 sect. 4, n. 19).

Deinde alii contendunt signum debere esse imperfectius ac deterius signato. Ita P. Joann. a S. Th. (*Log.* quest. 21, art. 4, *Appendix*). Oppositum vero alii censent, ut videre est apud P. Ludov. Lossada (Inst. *Dialect.* disp. 1, cap. 2, n. 10).

Idem Joannes a S. Thoma vult signum esse debere signato dissimile: unde varia excludit a ratione signi.

Ab his ego controversiis, vel quia fere sunt de modo loquendi, vel quia tenebras potius quam lucem affundere mentibus incipientium videri possunt, abstinendum in ipso Logices limine existimavi, illamque signi præbendam esse definitionem ac declarationem, quæ neutram ex adversis opinionibus excluderet, neutram supponeret, sed ab utraque præcinderet.

(3) S. Th. 1 p. q. 35, art. 1; q. 93, art. 1.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit signum.

8. Signum dividi potest primo ratione modi significandi, in *formale et instrumentale*. Formale est forma seu entitas illa, quæ potentiæ cognoscitivæ inhærens, seipsa notum illi reddit objectum. Hujusmodi est actus quilibet cognitionis, sive intellectualis sive sensibilis, cognitio enim repræsentat objectum. Signum instrumentale seu objectiveum est quicquid prius notum ducit nos in cognitionem alterius. Ita vestigium signum est pedis, fumus ignis (1).

Signum formale

Instrumentale

Hoc differunt inter se signum instrumentale ac formale, quod illud prius in se cognoscatur, et ex sui cognitione ingerat quoque alterius rei notitiam, secus ac signum formale. Neque enim ut intellectione aut visione mea domum attingam, opus mihi est prius ipsam visionem aut intellectionem, quæ objecti similitudo quædam intentionalis est, percipere ac contemplari. Ideo signum formale vocatur etiam medium *quo*, instrumentale vero medium *ex quo*.

Deinde pro diversitate nexus cum re significata dividitur signum in *naturale, arbitrarium et ex consuetudine*. Naturale est, quod suapte natura vim habet manifestandi aut significandi: sic gemitus natura sua dolorem, ignem fumus ostendit. Arbitrarium seu conventionale ved ad placitum est id, quod vim significandi non a natura, sed ex libera institutione sortitur. Libera porro hæc institutio potest esse vel Dei, vel angeli, vel hominis: ita sacramenta signant sanctificantem gratiam ex institutione divina, et ramus ad januam quarundam domorum appensus vinum ibi vendibile commonstrat ex libera hominum voluntate. Denique signum ex consuetudine est quod ex consuetudine nactum est vim aliud repræsentandi. Hoc modo ornatio templi apparatus sollemniore ritus, mappa mensæ prope meridiem imposita, prandium mox futurum, et

Naturale,
arbitrarium et
ex consuetudine.

(1) Fuscæ ac more suo egregie Conimbricensis de hac divisione (Loc. cit. q. 2 a. 1, 3).

canis herum comitari solitus, eundem pone sequentem designat (1).

Hinc facile concludes eam esse naturalium signorum proprietatem, ut semper et ubique idem significant; natura enim rerum eadem est apud omnes nec mutatur temporum fluxu. Secus vero dicendum est de reliquis signis.

Præterea signum pro diversitate potentiæ cognoscitivæ duplex est, *sensibile atque insensibile*. Sensibile definitur potest cum S. Augustino: *res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire*. Sic purpurea vestis Cardinalem nuntiat, fumusignem, mitra episcopalem dignitatem. Signum insensibile est, quod solo intellectu percipi potest: quales sunt v. g. spirituales mentis actus, ex quibus ipsa suam immaterialitatem cognoscit. Ita etiam ex theologorum doctrina character sacramentalis et locutio angelorum signa sunt insensibilia (2).

Denique ratione usus dividens signum in *pure manifestativum et suppositivum* seu *doctrinale*. Pure manifestativum est quod solum inservit ad rem manifestandam, quin pro ea subsituatur. Exemplum habes in campanæ sonitu, fumo, sceptro, aliisque innumeris, quæ ita rem significant, ut ad nullum usum eidem substituantur. E contrario signum

Quid differant
signa naturalia
a reliquis.Sensibile atque
insensibileManifestativum
et suppositivum.

(1) Sunt qui signa hæc ex consuetudine ad arbitraria vel naturalia revocare velint, atque ita consequenter loqui debent illi, qui ad proprii significationem requirunt aliquam sive ex natura, sive ex hominum placito, institutionem atque ordinationem ad significandum, sicut docet, ut cæteros omitam, Joan. a S. Th. loc. cit. art. 6. Controversia hæc parvi profecto est momenti; sed in allatis exemplis vis significandi non videtur saltem immediate derivari ex natura hominumve placito. V. Lossada loc. cit. n. 13, 14-18.

(2) Cave autem ne confundas divisionem hanc cum illa alia per quam signum dispesci potest in *corporeum et incorporeum*. Ratio enim corporei aut incorporei in signo reperitur ex physica ipsius conditione materialitatis aut in materialitatis; ratio vero sensibilis aut insensibilis desumitur ex respectu signi ad potentiam a qua cognoscitur, et fieri bene potest, ut aliquod signum in se materiale quiddam sit ac corporeum, non vero sensibile, si nimirum percipi a sensu nequit. Sic cognitio sensibilis est signum formale et corporeum, seu materiale, utpote actus humani compositi; non est autem signum sensibile, cum cognoscit in seipso a sensibus minime possit.